



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.

Pontano, Giovanni Gioviano

Venetiis, 1518

Ad amicam de eius pulchritudine, & amantis infelicitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13534

VERVS

Finge te ad nutus dominæ, nec illi
Aſper obſiſte. hoc age, blandiendo
Pectora mulce.

Hæc amor, ſed nec precibus mouetur
Tigris, aut cantu leo, non amando,
Quæ caret ſenſu, refugitq; amari
Caspia cautes.

Excoquit ſaxum uiolentus ignis,
Robur & ferrum penetrat, ſed huius
Fœminæ immitis animos, rigenti
Pectore cinctos.

Non amor certis penetrat ſagittis,
Vrit aut lentis Cytherea flammis,
Non lyra mulcens Erato, aut amico
Carmine mollit.

Huius, heu quæ uirgineo ſub ore
Condit innatos adamantas, & quæ
Aequoris Thufci ſcopulos, niuemq;
Et iuga Tauri.

AD AMICAM DE EIVS PVL-
chritudine, & amantis infelicitate.

t E'ne, dum ludis, Charites ſequuntur?
Te'ne, dum rides, amor? ah me amantem
Et fugit riſus, fugiuntq; lufus,
Et Charis omnis.

Dum canis, tecum Aonides puellæ
Conanunt, & dum loqueris, lepores
Fantur. heu, me non lepor, heu dolentem
Non leuat Aon.

Dum minax in nos oculos retorques,

Et deos irata male imprecaris.

Ingruit statim dolor, et deorum

Ira munantum.

Non' ne et infelix, miserumq; amantis

Munus? est illi dolor, est et usq;

Curaq; et mœror comes. est laborum

Certa propago.

POLYPHEMVS ad Galateam.

c Vr fugis uirgo Polyphemon? Aetna

Quem cupid, pascens tacitas fauillas.

En ego ad littus propero, ipsa in altos

Is uaga saltus.

Qualis in pratis melilotos uidis

Carices inter nitet, inter ipsa

Cratidis nymphas facieq; et omni

Corpore praestas.

Alta ut in syluis humiles myricas

Fagus excellit, pecudum magistros

Ipse sic cunctos, et honore barbæ, et

Crine relinquo.

Est tibi insignis coma, qua nitescis,

Sunt mihi et setæ, quibus ipse et hircos,

Atq; oues solus supero, genisq;

Et nemus horret.

Cur fugis uirgo Polyphemon? Aetna

Innuit cui, et uocat usq; ab alto

Monte succensis facibus, suosq;

Indicat ignes.